

REVERENDISSIMIS,  
Generosis, ac Nobilissimis Domi-  
nis, Domino Præposito, Decano, atque Ca-  
nonicis Ecclesiæ cathedralis Vratislaviensis: Dominis

suis unice colendis, & obser-  
uandis.

ADAMVS HENRICPETRI I.V.D.  
S. P. D.



SITATVM apud ueteres & modernos Prouer-  
bium: Non exiguam esse laudem à laudatis, pro-  
bis, & fide dignis hominibus celebrari. Ea quæ,  
V. R. à plurimis laus attribuitur, multiuaria est, si  
uel temporis spatium, quo principium habuit, &  
durauit, uel ipsas personas, quæ Ecclesiæ uestræ  
præsunt, & præfuerunt, considerare uelimus. In-  
cepit enim circa annum Christi Saluatoris nostri,  
noningentesimo septuagesimo, quando Myesko,  
(uti Historiæ tradunt) sacrum suscepit Baptisma, &  
in celeberrima ciuitate Vratislauia totius prouinciæ Metropoli Episcopa-  
lem erexit sedem, quamuis prius in Mogortio, siue Nyssa, aiunt fuisse, & ab  
eo loco in hanc ciuitatem translata. Quod autem sexcentis & sex annis in  
hodiernum diem durauit, antecessorum uestrorum nobilitas, probitas, reli-  
gio, doctrina, atq; optima Ecclesiæ administratio effecit, à quorum institutis  
pijs, & legibus salutiferis posteritas non deflexit. Nam sicuti hodie, ita &  
olim huic Ducatui, & Episcopatu, generosi, nobiles, docti, multis priuilegijs  
& prærogatiuis, uel ob familiæ splendorem, aut animi dotibus dotati, tan-  
quam graues morum, & omnium reliquarum Ecclesiasticarum rerum cen-  
sores electi, atq; confirmati sunt: quibus hactenus summa cura, maximaq; di-  
ligentia fuit, ne quid honori, dignitati, laudi atq; decori detrahatur. Nec quic-  
quam est, sapientibus & prudentibus testibus, quod diu durare possit, si ho-  
minum non accedat in conseruando, regendo, & cumulando, industria &  
dexteritas cum auctoritate & grauitate coniuncta. Quæ quidem omnia sem-  
per in uestro nobilissimo Collegio concurrerunt, adeo ut nec hominum  
peruersitas, neq; temporum periculosisimorum iniquitas, & mutatio quic-  
quam detrahere potuerit, sed omni tempore & ubiq; locorum inuiolata uo-  
bis uestra fama, & constantissima laus permansit. Hæc sane toties à uestris Si-  
lesis Nobilibus, quorum aliqui ex uestris familijs procreati, celebrata, me  
ad V. R. amorem & obseruantiam summoperè pertraxerunt. Tales enim  
uel solos, quales V. R. prædicarunt Plato ille diuinus, ad Rempublicam mu-